

Józef Kudasiewicz

Circumstans peccatum (Hbr 12,1)

Collectanea Theologica 46/Fasciculus specialis, 127-140

1976

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

JÓZEF KUDASIEWICZ, KIELCE

CIRCUMSTANS PECCATUM (HBR 12, 1)

„Itaque et nos tantam habentes inpositam nubem testium deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum (*kai ten euperistaton hamartian*) per patientiam curramus propositum nobis certamen”¹. In interpretatione huius versiculi difficultates haud parvae occurrunt, quae iam ab antiquitate usque hodie ansam multarum controversionum exegeticarum dederunt. Difficultates illae ex diversis fontibus proveniunt, quarum principales sunt: densitas idearum, multae metaphorae², et praesertim hapax legomena³ et lectiones variantes. Duo tamen problemata textualia simul et exegetica momento et actualitate prae caeteris praeeminent nempe modus interpretandi vocabulorum: 1° *euperistaton* et 2° *hamartian*. De primo vocabulo non sine ratione scripsit J. M o u l t o n⁴ „bene notam crucem” exegetarum esse. P⁴⁶ praebens nobis aliam lectionem nempe *euperispaston* indicat possibilitatem novae solutionis⁵. Recenter A. V a c c a r i non solum accepit lectionem variantem P⁴⁶, sed etiam loco lectionis receptae *hamartia* proposuit coniecturam *apartia*⁶. In decursu inquisitionis discutientur duo illa problemata.

¹ Cf. J. Wordsworth, H. J. White, *Novum Testamentum Domini Nostri J. Christi latine*, Oxonii 1913, t. II, p. 753.

² Metaphora nubis et cursus agonalis.

³ *Nefos*, hapax leg. in NT; *ogkos* hapax leg. in tota Scriptura Sacra; *euperistatos* extra hunc locum non invenitur in S. Scriptura.

⁴ *A Grammar of New Testament Greek*, Edinburgh 1929, t. II, p. 282.

⁵ Cf. F. G. Kenyon, *The Chester Beatty Biblical Papyri*, fasc. III Supplement: *Pauline Epistles*, London 1936, p. 46. Illa lectio invenitur etiam in codice 1739.

⁶ Cf. A. Vaccari, *Per meglio comprendere Ebrei 12,1*, *Rivista Biblica* 6/1958/235—241. Fusius et profundius exposuit et probavit suam propositionem in articulo: *Hbr 12,1: lectio emendatior*, *Biblica* 39/1958/471—477.

1. „Hamartia” an „apartia”?

1. Usque ad saec. XVIII nemo dubitavit de genuinitate lectionis *hamartia*. Exegetae tantum diversis in modis intelligebant sensum huius vocabuli, ipsa tamen lectio ab omnibus tamquam originalis admittebatur. Secundum testimonium J. M. Baljon⁷ primus Markland introduxit coniecturam *apartian*, quam accepit etiam R. Bentley: „lego — scripsit Bentleius — *ten hyper hikanon apartian*, immo potius *euperistalton apartian*”⁸. Haec est clara allusio ad Schol. Illiadae (2, 183), ubi iubetur abici *chlaina tetragonos*, quae vocatur etiam *chlamys* i.e. vestis longa, densa et ponderosa praesertim militum. Additur statim *apebale de auten dia to euperistalton*. Coniectura ergo *apartia* erat necessaria consequentia coniecturae *euperistalton*; impossibile enim erat concordare novam coniecturam cum vocabulo *hamartia*. J. Moffat⁹, qui in suo commentario citat opinionem Bentleyi, non accipit eius sententiam, minime tamen negat eius probabilitatem.

Recenter A. Vaccari renovavit iterum illud problema et novis argumentis probare conatus est. Argumenta eius in duo genera dividi possunt: argumenta negativa i.e. difficultates occurrentes contra lectionem *hamartian* et argumenta positiva nempe rationes probantes illam coniecturam. In nota critica sui commentarii ad Hebraeos breviter tantum innuit hanc argumentationem: „*apartian per contextum*; et peccatum quod hic est extra locum”¹⁰. In articulis supra citatis fusius exposuit suam sententiam: peccatum de quo sermo est in Hbr 12,1 natura sua, seu per antonomasiam est peccatum grave, quod omnino a cursu retrahit, auctor epistolae autem iubet deponere id, quod currentem retardare posset; lectio *hamartian* abrumpit lineam metaphorae. In initio capituli sexti (6,1—3) — secundum A. Vaccari — est oratoria praeteritio unius (dicendi de peccatis) et transitio ad alterum (dicendum de perfectione christianorum) et contra propositionem esset scriptoris („et hoc faciemus” — 6,3) sub finem epistolae sermonem inicere de peccatis exuendis. Nova lectio *apartian* optime concordat cum contextu et eleganter continuat metaphoram agonis. Tamquam argumenta affirmativa citat A. Vaccari ex LXX, ubi *apartia* errore scribarum quinque locis in *hamartia* corrupta est. Magna similitudo litterarum

⁷ *Novum Testamentum Graece*, Groningae 1898, p. 639 in nota critica ad Hbr 12,1.

⁸ Citatum desumpsit ex commentario J. Moffat, *A Critical and Exegetical Commentary on the Epistle to the Hebrews*, Edinburgh 1924, p. 195.

⁹ Cf. *ibid.*, p. 195s.

¹⁰ *Lettera agli Ebrei*, In: *La Sacra Biblia tradotta dai testi originali*, Firenze, 1958, p. 376.

Graecarum m et p (maiuscula) et frequens usus vocabuli *hamartia* in Novo Testamento hanc possibilitatem corruptionis augent¹¹.

2. Proposita lectio *apartia* multis tamen obnoxia est difficultatibus et argumenta in favorem lectionis receptae maioris ponderis sunt quam in favorem coniecturae.

a) Genuinitatem lectionis receptae duo praecipua argumenta probant: testimonium omnium codicum, versionum, veterumque Scriptorum ecclesiasticorum et ipse contextus tam praecedens quam subsequens. Lectio proposita non parum mutat sensum versiculi, ideoque impossibile videtur, ut a nullo ex testibus extantibus praebeat. Licet hic citare verba ipsius A. Vaccari¹²: „In NT ob multitudinem et antiquitatem testium vix unquam accidit, ut genuina lectio ab uno vel altero teste non tradatur ideoque coniecturae ullus sit locus“. Exempla corruptionis universalis et permutationis *apartia* in *hamartia* in LXX indicant tantum possibilitatem talis corruptionis et permutationis, non probant tamen simile factum revera exstitisse in Hbr 12,1.

b) Argumentum magni momenti pro genuinitate lectionis *hamartia* praebet nobis contextus praecedens et subsequens. Principalis exhortatio nostri versiculi: „cum patientia curramus propositum nobis certamen“ — inclusa est inter tria participia, ex quibus primum *echontes* et tertium *aforontes* includunt rationem, quae in cursu animum dat et cursum excitat¹³. Motivum constituunt exempla ex VT sumpta (c. 11) et praesertim excellentissimum exemplum — ipse Christus *archegos kai teleiotes* (12,2—4). Haec duo participia indicant lineam coniunctionis v. 1 cum capite praecedenti (exempla ex VT) et cum versibus sequentibus (exemplum Christi). Participium secundum *apotemenoi* indicat modum se preparandi ad cursum.

Intima coniunctio Hbr 12,1 cum toto capite 11 est clara et ab omnibus admittitur¹⁴; *nefos martyron* (Hbr 12,1) evidenter alludit ad cap 11, ubi sermo est de testibus V. Testamenti. Illi testes V. Foederis iam antea certamen fidei persolverunt — *martyreistai*. Terminus ille, qui quater adhibetur in cap. 11 (11,2. 4. 5. 39), iungit *martyron* Hbr 12,1 cum cap. praecedenti¹⁵. Hic strictus nexus confirmatur etiam a particula conclusiva *toigaroun*, quae iungit exhortationes v. 1 cum capite praecedenti¹⁶. Persona principalis inter Sanctos V. Legis enumeratos in cap. 11 est Moyses, de quo hagiographus

¹¹ A. Vaccari, *Hbr 12,1: lectio emendatior*, p. 473s.

¹² *De textu*, in: *Institutiones Biblicae*, Roma 1951⁶, t. I. p. 361.

¹³ Cf. C. Hughe, *Commentarius in Epistolam ad Hebraeos*, Gandavi 1901, p. 249s; E. Riggensbach, *Der Brief an die Hebräer*, Leipzig 1913, p. 384.

¹⁴ Cf. A. Vanhoye, *De structura litteraria Epistolae ad Hebraeos*, Verbum Domini 40/1962/76.

¹⁵ Cf. E. Riggensbach, *op. cit.*, p. 384s; H. Windisch, *Der Hebräerbrief*, Tübingen 1931², p. 108; O. Michel, *Der Brief an die Hebräer*, Göttingen 1949⁸, p. 287s; H. Strathmann, *Der Brief an die Hebräer*, Göttingen 1949⁵, p. 143.

¹⁶ Cf. H. v. Soden, *Hebräerbrief*, Freiburg i.B. 1894², p. 92.

loquitur plus quam de aliis personis et quasi brevem eius biographiam refert (11,23—30). Etiam in litteraria structura capituli Moyse est in centro, ante eum enumerantur tamquam exempla: una femina (Sara — Hbr 11,11) et septem viri (Abel, Henoch, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph — 11,1—22), post Moysem etiam una femina (Rahab 11,31) et sex viri (Gedeon, Barac, Samson, Iephte, David, Samuel — 11,32). Loco septimi viri paralleli ad catalogum praecedentem tamquam una persona moralis enumerantur prophetae (11,32). Ex hoc patet auctorem epistolae modo speciali oculos christianorum ad personam Moysis verti voluisse. Ergo secundum intentionem auctoris exemplum Moysis possumus modo speciali vitae christianorum applicare.

Si agitur tamen de contextu subsequenti, deest talis unanimitas exegetarum: L. V a g a n a y¹⁷ iungit cum Hbr 12,1 tantum versum sequentem, a versu autem Hbr 12,3 incipit novam subdivisionem, quam insignit titulo *hypomone*. B. W e i s s¹⁸ et F. J. S c h i e r s e¹⁹ cum Hbr 12,1 conjugunt duo versicula sequentia et a versu quarto incipiunt novam partem. O. M i c h e l²⁰ autem et C. S p i c q²¹ considerant pericopam Hbr 12,1—4 tamquam quid unum; C. S p i c q²¹ intitulat eam: „exemplum Iesu Christi“. A. V a n h o y e²² demum tamquam unam sectionem considerat Hbr 12,1—13, quam nominat titulo: „De patientia necessaria“ (Hbr 12,1—13)²². Haec duae ultimae divisiones solide fundatae sunt. Secundum O. M i c h e l totam pericopam in unum metaphora certaminis in stadio iungit. Et revera multi termini hoc indicant: *trechein agona* iam apud Herodotum (8,102) erat terminus technicus significans „cursus certamen obire“²³. Titulus Christi — *archegos* (12,2) secundum C. S p i c q²⁴ etiam ad metaphoram certaminis in palaestra alludit et est synonymus vocabulorum *prodromos* vel *promachos*; Christus nempe comparatur duci et magistro, qui dirigit et viam indicat in cursu vitae. Termini *antikatestete* et *anagonizomenoi* (12,4) sunt directe desumpti ex vocabulario agonali et militari²⁵. In expressione *mechris haimatos* est etiam allusio ad metaphoram certaminis in stadio, introducit tamen aliquam permutationem relate ad imaginem cursus: christianus nempe comparatur non tam athletae currenti quam potius pugilatori certanti i.e. metaphora cursus permutatur in

¹⁷ *Le plan de l'Épître aux Hébreux*, in: *Mémorial Lagrange*, Paris 1940, p. 275.

¹⁸ *Brief an die Hebräer*, Göttingen 1897, p. 314.

¹⁹ *Verheissung and Heilsvollendung. Zur theologischen Grundfrage des Hebräerbriefes*, München 1955, p. 208.

²⁰ *Op. cit.*, p. 287.

²¹ *L'Épître aux Hébreux*, Paris 1952², t. II, p. 382.

²² A. V a n h o y e, *op. cit.*, p. 76.

²³ Cf. F. Z o r e l l, *Lexicon Graecum Novi Testamenti*, Parisiis 1931², p. 21.

²⁴ *Op. cit.*, t. II, p. 386.

²⁵ Cf. A. M e d e b i e l l e, *Épître aux Hébreux*, Paris 1938, p. 361; P. T h e o d o r i c o, *L'Épistola agli Ebrei*, Roma 1952, p. 210.

metaphoram pugilationis²⁶. Pugilatio enim saepe fiebatur vulneratione, profusione sanguinis, immo etiam morte. Propterea Seneca verum athletam vocat virum, „qui sanguinem suum vidit“²⁷. In hac ultima expressione etiam allusio est ad sanguinosam mortem Christi, qui sustinuit crucem (Hbr 12,2) et sanguine suo emundat conscientias peccatorum (Hbr 9,11—14). Ex his clare apparet Hbr 12,1 intime iungi cum 3 versibus sequentibus, qui de exemplo Christi tractant²⁸.

Christiani ergo in cursu vitae fidei duo excellentissima exempla habent nempe Jesum Christum et ex „nube testium“ V. Testamenti praesertim Moysen. Inter duo illa exempla existit aliqua correlatio²⁹. Moyses deposuit thesauros, bona et gaudia domus Pharaonis (11,23—26) — Christus deposuit gaudium (12,2)³⁰. Moyses abiecit temporale emolumentum peccati (11,26) — Christus suscepit contradictionem peccatorum (12,3) et cum peccato pugnavit usque ad sanguinem (12,4); Moyses suscepit afflictionem cum populo et improprium Christi (11,26) — Christus suscepit crucem (12,2). Clara est ergo communis idea depositionis, pugnae contra peccatum vel contra peccatores et idea afflictionis. Haec duo exempla sub aliquo respectu similia applicat auctor epistolae ad vitam christianorum. Propterea inter illa duo exempla et Hbr 12,1 existit parallelismus, qui graphice sic illustrari potest:

Contextus praecedens c. 11, praesertim 11,23—26	Hbr 12,1	Contextus subsequens (12,2—4)
Exemplum Moysis	Applicatio exempli	Exemplum Christi
1. deposuit thesauros (<i>thesouroi</i>) Egyptorum (11,26)	1. „deponentes omne pondus (<i>ogkos</i>)“	1. deposuit gaudium (<i>charas</i>) (12,2) ³¹

²⁶ Cf. C. P. Keil, *Commentar über den Brief an die Hebräer*, Leipzig 1885, p. 350; O. Michel, *op. cit.*, p. 295; C. Spicq, *op. cit.*, t. II, p. 390.

²⁷ *Epistola* 13, in: L. Annaei Senecae ad Lucillum ep. moral, ed. O. Heuse, Lipsiae 1914, p. 24.

²⁸ Cf. B. Weiss, *op. cit.*, p. 314. C. Spicq, *op. cit.*, t. II, p. 380.

²⁹ Notandum est quod iam in descriptione exempli Christi Hbr 12,2 auctor alludit ad Nm 16,37, ubi sermo est de rebellionem peccatorum contra Moysen. Idea comparationis Christi cum Moysen valde familiaris est nostrae Epistolae (3,1—6). De relatione inter Christum et Moysen, cf. B. Testa, *La soterologia di S. Paolo causa della sua attività*, in: *Studii Biblici Franciscani Liber Annuus VII* (1957—1958) 127—140.

³⁰ Vetus lat. in hoc loco legit: „pro tanto deposito sibi gaudio sustinuit crucem“, P. Sabatier, *Bibliorum Sacrorum Latinae versionis antiquae seu Vetus Italica*, Parisiis 1751, t. III—1, p. 929.

³¹ De parallelismo inter Christum et christianos bene notat A. M. Vitti:

2. respuit temporale emolumentum peccati (<i>proskairon ... hamartias apolau-sin, 11,25</i>)	2. „deponentes et peccatum (<i>ten... hamartian</i>)	2. sustinuit contradictionem peccatorum (<i>hypo ton hamartolon. - 12,3</i>) et resistit adversus peccatum (<i>pros ten hamartian</i>) usque ad sanguinem (<i>12,4</i>) ³²
3. Elegit afflictionem cum populo Dei et improprium Christi (<i>11,26</i>)	3. „cum patientia (<i>di'hypomones</i>) curramus propositum nobis certamen (<i>agona</i>)	3. sustinuit (<i>hype-meinen</i>) crucem (<i>12,2</i>) ³³

Parallelismus, ut patet, tam philologicę, quam logice evidens est et applicatio vitę christianę clara: sicut Moyses respuit thesauros Egyptiorum, bona et gaudia domus Pharaonis, sicut Christus deposuit a se gaudium suum, ita christiani debent deponere omne pondus i.e. omnia, quę impediunt cursum. Christiani, sub influxu exempli Moysis, qui abiicit peccatum, et pręsertim sub influxu exempli Jesu, qui pugnavit contra peccatum et peccatores, debent pugnare contra peccata usque ad sanguinem. Et sicut Moyses elegit afflictionem et improprium, Christus autem sustinuit crucem, ita et christiani debent patienter currere propositum certamen. In terminis enim *di'hypomones*³⁴ et *agon*³⁵ continetur idea afflictionis, doloris et duri laboris. Si ergo loco *hamartian* poneretur *apartian*, tunc dirumperetur parallelismus et deesset perfecta applicatio exemplorum. Si in exhortatione principali (12,1) nulla mentio esset peccati, difficile intellectu esset, cur auctor in descriptione exempli Christi tam plura de peccato et pugna contra peccatum diceret. Mirum fuisset lectoribus epistolę dictum: „nondum usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum pugnantes” (12,4), nisi in exhortatione (12,1) pugna cum peccato fidelibus imposita fuisset. Lectio ergo *hamartian* strictę coniuncta est tam cum contextu prę-

„Parallelum igitur in prima parte est inter expoliationem seu ut alibi Paulus aiebat (Fil 2,7) exinanitionem Verbi Dei et depositionem penes iudeo-christianos”. *Proposito sibi gaudio (Hbr 12,2)*, Verbum Domini 13/1933/ 157. Cf. etiam J. B. Nisius, *Zur Erklärung von Hebr. XII, 2*. *Biblische Zeitschrift* 14/1916—17/ 45. Neque tamen Vitti nec Nisius paralelismum hunc ad Moysen extendunt.

³² De hoc paralelismo cf. F. J. Schierse, *op. cit.*, p. 204.

³³ De tertio paralelismo sed tantum inter Christum et christianos cf. L. Vaganay, *l. c.*, p. 275.

³⁴ Cf. A. Vaccari, *Hbr 12,1: lectio emendatior*, p. 471, nota 2.

³⁵ Cf. F. Zorell, *op. cit.*, p. 21.

cedenti, immo etiam ille contextus probat genuinitatem lectionis receptae. E contrario lectio *apartian* nullam habet relationem neque ad exemplum Christi neque Moysis.

c) Genuinitatem lectionis *hamartian* probat non solum contextus praecedens et subsequens, sed etiam perfecta concordantia sensus vocabuli „peccatum“ cum metaphora, in qua inseritur: depositio peccati est conditio necessaria ad cursum persolvendum. Imprimis tamen notandum est vocabulum *hamartia* in epistola ad Hebreos specialem aspectum habere. „Peccatum in hac epistola — scribit S. Lyonnet³⁶ — habetur ut error itinerantis extra viam quo homo viam a Deo indicatam sequi renuit, sicut Israelitae in deserto“. Hic sensus peccati elucet praesertim ex descriptione peccati Iudeorum in deserto, ubi auctor Ps. 95 utitur, addit suum commentum et applicat ad vitam novi populi electi (Hbr 3,6—19). Peccatum deserti secundum descriptionem Psalmi est erratio cordis (*planontai te kardia* — Hbr 3,10) et defectus cognitionis viarum Domini (*ouk egnosan tas hodous mou*). Consequentia huius peccati est impossibilitas introeundi *eis ten katapausin* (3,11)³⁷. In explicatione huius Psalmi auctor epistolae loco expressionis „erratio cordis“ et „defectus cognitionis vias Domini“ dicit simpliciter *hamartein* vel utitur verbo *apistia* (3,16—19): non potuerunt introire propter infidelitatem (3,19). Christiani etiam sunt in via *eis ten katapausin* (4,1—11). Exhortat ergo eos hagiographus, ut deponant infidelitatem (3,12) et recuset peccatum, quae possunt impedire ingressum in *katapausin* (3,12s). Peccatum ergo christianorum similiter ac Iudeorum in deserto est aberratio a via Domini, aberratio a scopo.

In tali conceptione peccati clara est allusio ad primitivum sensum peccati in V. Testamento. Terminus, qui saepissime exprimit ideam peccati, in V. Testamento est radix verbi *ht'*, ex quo formatum est substantivum *ht't*, quem LXX in 238 locis vertit per *hamartia*³⁸. *Ht'* in Qal significabat primitive aberrare a scopo et per analogiam aberrare a via, quae ad scopum ducit. „Tota significatio se concentrat circa sensum aberrare sive a via, sive a mediis perveniendi ad finem“³⁹. In sensu religioso autem significat perdere viam virtutis, quae ducit ad Deum.

Similes expressiones possumus invenire in textibus qumranis, ubi intime coniungitur idea viae vel peregrinationis in sensu morali

³⁶ De peccato et redemptione, Roma 1957, p. 87. Cf. etiam A. Vanhoye, *Christologia in Hebr. 1,2—4*, Verbum Domini 43/1965/58s.

³⁷ Cf. G. Castellino, *Libro dei Salmi*, Torino—Roma 1958, p. 688; J. Frankowski, *Requies, Bonum promissum populi Dei in VT et Iudaismo* (Hbr 3,7—4,11), Verbum Domini 43/1965/124—149, 225—240.

³⁸ Cf. G. Quell, *Hamartano...*, in: R. Kittel, *Theologisches Wörterbuch zum Neuen Testament*, t. I, p. 268; A. Vanhoye, *Christologia*, p. 58.

³⁹ Cf. V. Monty, *La nature du péché d'après le vocabulaire hébreu*, *Sciences Ecclesiastiques* 1/1948/99—103.

cum idea peccati et deflectionis vel aberrationis — ut pulcherrime ostendit F. Nö t s c h e r⁴⁰. Vita moralis saepe sub imagine viae describitur. Potest esse via bona vel mala, quae vocatur etiam via infidelitatis, iniustitiae vel simpliciter via peccati. Notio viae malae continet in se omnia, quae sunt contra Deum et legem Moysis. Via mala nihil aliud est, quam aberratio vel deflectio a via bona, causam autem huius deflectionis constituit peccatum. Quapropter peccatum nihil aliud est, quam deflectio vel aberratio a via vel a scopo. Ex his concludere licet: 1. in textibus qumranicis adest clara coniunctio notionis peccati cum metaphora viae et cum idea deflectionis a via recta; 2. causam huius deflectionis a via bona efficit peccatum et ideo vocari potest aberratio a via bona. Haec affinitas conceptionis viae et peccati in epistola ad Hebraeos ex una parte et in scriptis qumranicis ex altera non est mira, si bene attendatur etiam ad alias similitudines inter illa scripta⁴¹.

In nostra epistola peccatum similem habet significationem: peccatum in epistola ad Hebraeos — sicut notat C. Spicq⁴² — est falsus passus in via, aberratio extra viam indicatam. *Hamartia* in epistola ad Hbr est peccatum proprium itinerantibus, directe oppositum patientiae et perseverantiae, quae est necessaria omnibus, qui volunt consummare iter longum et durum. Articulus (*ten hamartian*) applicatus nomini abstracto indicat, quod non agitur de peccato in genere, sed de peccato determinato, memorato et noto⁴³ nempe in nostro casu de incredulitate, de qua iam sermo erat in cap. 3. Contextus etiam est similis: cap. 3,6—19 tractat de peregrinatione populi electi ad *katapausin*, in quam non potuit introire propter incredulitatem, et exhortat novum populum, ut deponat peccatum et infidelitatem. In Hbr 12,1 sub imagine cursus in stadio etiam sermo de peregrinatione novi populi est, nihil ergo mirum, quod auctor admonet eos peccatum incredulitatis deponere, ne impediuntur introire in requiem.

Stricta coniunctio Hbr 12,1 cum capite praecedenti, ubi sermo est de fide testium V. Foederis, indicat etiam quod in nostro versiculo non agitur de peccato in genere, sed de peccato contrario huic fidei. Propterea fere omnes exegetae moderni admittunt in Hbr 12,1 sermonem de peccato infidelitatis esse⁴⁴. Ex his omnibus clare pa-

⁴⁰ *Gotteswege und Menschenwege in der Bibel und im Qumran*, Bonn 1958. De idea: via-deflectio-peccatum cf. praesertim p. 87—90 ubi citantur multa exempla ex litterature qumranica cum optimo commentario.

⁴¹ Cf. Y. Yadin, *The Dead Sea Scrolls and the Epistle to the Hebrews*, Jerusalem 1958, 36—55. Praesertim tamen cf. C. Spicq, *L'Épître aux Hébreux, Apolos, Jean Baptist, les Hellenistes et Qumran*, Revue de Qumran 1/1959/365—390.

⁴² Cf. C. Spicq, *op. cit.*, t. 1, p. 285s.

⁴³ Cf. M. Zerwick, *Graecitas Biblica*, Roma 1955⁸, p. 47—50.

⁴⁴ „Infidelitas, quia praesentaneum est eius periculum et quia hoc peccatum si admittas, maximum pernicietis periculum affert”. — A. Bengel, *Gnomon Novi*

tet peccatum in Hbr 12,1 similiter ac in Hbr 3,7—19 cum idea viae vel potius cum idea peregrinationis ad finem, coniunctum esse. Peccatum infidelitatis apparet tamquam maximum periculum itineris, quod potest non solum causare aberrationem vel deflectionem a via recta, sed etiam potest totaliter avertere a scopo et impedire ingressum in *katapausin*. Peccatum in hoc sensu sumptum stricte concordat cum metaphora cursus in stadio. Sub imagine enim huius metaphorae auctor nihil aliud describit quam viam christianorum ad finem, peregrinationem eorum, duce Christo, ad metam, ad *katapausin*. Periculum infidelitatis imminet etiam novo populo, hagiographus ergo admonet, ut deponant eam ante initium cursus. Lectio ergo recepta optime concordat cum idea principali metaphorae et propterea possumus concludere vocabulum *hamartian* in Hbr 12,1 genuinum esse⁴⁵.

d) Argumentum confirmativum pro genuinitate lectionis *hamartian* possumus etiam deducere ex difficultatibus interpretationis coniecturae *apartian*. Lectio recepta revera — sicut dixit A. V a c c a r i — abrumpit lineam metaphorae; auctor exhortationem suam vestivit imagine (omne onus), perrexit per dictionem propriam (peccatum), ut iterum rediret ad imaginem seu metaphoram⁴⁶. Hoc est verum, sed notandum est quod usus inserendi nonnulla sensu proprio in metaphoram vel allegoriam sat frequens tam in Novo (J 15,1—6) quam in V. Testamento (Ps 80, 9—13) est⁴⁷. Peccatum in Hbr 12,1 etsi rumpit lineam metaphorae, sensus eius tamen optime concordat cum idea fundamentali metaphorae. Coniectura autem *apartian* e contrario praebet haud parvas difficultates in interpretatione, quia desunt exempla adhibendi *apartia* sensu translato tam in LXX, quam in graecitate profana⁴⁸. Metaphorica interpretatio *ogkos* et *trechein agona* nota erat iam in antiquitate et haec ultima phrasis etiam in N. Testamento (1 Cor 9,24—36; Flp 3,12—14; 2 Tm 4,7), non possumus autem hoc dicere de *apartia*. Quid ergo significat *apartia* sensu translato i.e. in applicatione ad vitam christianam? *Apertia* enim in sensu levis et parvae supellectilis pertinet ad dictionem propriam vocabuli non autem translata.

Testamenti, Tubingae 1742, p. 959 s. Cf. etiam E. R i g g e n b a c h, *op. cit.*, p. 386; J. M o f f a t, *op. cit.*, p. 194; C. S p i c q, *op. cit.*, t. I, p. 285; P. T e o d o r i c o, *op. cit.*, p. 210.

⁴⁵ Lectionem *hamartian* accipit etiam S. Ł a c h in suo commentario: *List do Hebrajczyków*, Poznań 1959, p. 170.

⁴⁶ *Hebr. 12,1: lectio emendatior*, p. 473.

⁴⁷ Cf. A. B e a, *De interpretatione*, in: *Institutiones Biblicae*, *op. cit.*, p. 457.

⁴⁸ Lexicographi multas indicant significationes vocabuli *apertia* e. gr.: suppellex, sarcinae, impedimenta militum, praeda, auctio bonorum, sed non dicunt de usu metaphorico huius vocabuli. Cf. H. S t e p h a n u s, *Thesaurus Graecae Linguae*, Parisiis 1829, t. 1—2, p. 1204; M. A. B a l l y, *Dictionnaire Grec-Français*, Paris¹⁶ 1950, p. 205; H. G. L i d d e l, R. S c o t t, *A Greek-English Lexicon*, Oxford 1940, t. 1, p. 180.

Concludendum est ergo, quod omnia argumenta tam externa, quam interna simul sumpta cum certitudine probant genuinitatem lectionis receptae — *hamartian*.

2. Lectio P⁴⁶ — „euperispastos”

Secundum problema tam textuale quam exegeticum Hbr 12,1 provenit ex verbo *euperistaton*. Hoc problema longam habet historiam, iam Patres habuerunt difficultates, quae usque ad nostra tempora remanserunt.

1. Nihil mirum est, quod iam Patres tam multas difficultates habuerunt vocabulum *euperistatos* interpretando, quia hapax legomenon est, et extra hunc locum non invenitur neque in Biblia neque in graecitate profana, sed tantum apud seriores scriptores christianos, qui a hoc loco pendent⁴⁹. Si ergo desunt ulla exempla, impossibile est certissime stabilire sensum vocabuli. Ad vitandam hanc difficultatem Patres ope etymologiae conati sunt sensum vocabuli explicare. Communiter sub influxu Ioannis Chrysostomi *euperistatos* deducebatur a verbo *periistamai*. Dependenter ab eo, utrum verbum hoc sumptum sit sensu activo an passivo, tres interpretationes patristicae discerni possunt.

a) Secundum Ioannem Chrysostomum *euperistatos* (passive sumptum) significat: „Facile ad vincendum, facile ad superandum”. „Facile enim possumus superare peccatum”⁵⁰. Hanc interpretationem supponunt etiam lectiones duorum codicum Veteris Latinae (d.e.), ubi legitur: „fragile peccatum”⁵¹. Illa interpretatio, etsi philologicè possibilis, non concordat tamen cum contextu. Auctor epistolae enim invocat christianos ad certamen contra peccatum cum omnibus viribus, ad certamen durum et difficile usque ad profusionem sanguinis (12,3). Non potuisset ergo dicere peccatum facile ad vincendum esse⁵².

b) Secunda interpretatio sumit *euperistatos* sensu activo i.e. „facile circumstistit, facile circumcingit”. Hanc explicationem accipit etiam Joannes Chrysostomus⁵³, Vulgata et versiones copticae. Hic modus explicandi posterioribus temporibus multos habuit fautores et hodie quasi communis est. Secundum E. Rig-

⁴⁹ Cf. A. Vaccari, *Hebr. 12,1: lectio emendatio*, p. 472; A. Médebielle, *op. cit.*, p. 359.

⁵⁰ *Homilia XXXIV in Epistolam ad Hebraeos*, PG 63, 93.

⁵¹ Cf. P. Sabatier, *op. cit.*, t. III—1, p. 928. H. C. Hoskier, *A Commentary on the Various Readings in the Text of the Epistle to the Hebrews in the Chester-Beatty Papyrus P⁴⁶*, London 1937, p. 32.

⁵² Cf. E. Riggensbach, *op. cit.*, p. 387.

⁵³ ...*ten eukolos periistamenen hemas* — PG 63, 93.

genbach⁵⁴ haec interpretatio optime concordat cum sensu linguae Graecae et quadrat cum contextu. Sub influxu F. Bleek⁵⁵ multi moderni accipiunt quod circumcingit athletam et potest impedire in cursu, ideoque prius deponendum est⁵⁶. In sensu morali similiter circumstans et impedit peccatum.

c) Alio modo vocabulum *euperistatos* explicat Theodoretus⁵⁷: secundum eius opinionem peccatum vocatur *euperistaton*, quia „facile contrahitur, facile gignitur”. Hanc facilitatem peccandi explicat Theodoretus inclinatione et promptitudine sensuum humanorum ad malum. Interpretatio S. Ephraemi⁵⁸ non est clara, sed etiam ille videtur hoc sensu vocabulum *euperistatos* explicare: „peccata quae quotidie patrata sunt, ut in delictum nos inducant”. In fine saeculi praeteriti interpretationem Theodoretus renovavit J. Panek⁵⁹ coniungens eam cum interpretatione Iohannis Chrysostomi: „hinc tropice *hamartia euperistatos* est peccatum facile nos seducens quod enim nos cingit undique et circumdat, facile nos seducit et abripit”.

d) Theophilactus⁶⁰ addit quartam interpretationem: vocabulum *euperistatos* deducit ex verbo *peristasis*. Peccatum dicitur *euperistaton*, quod facile premit et minatur, quia est periculosum. Interpretationem Theophilacti accepit etiam A. Bengel⁶¹.

e) Difficultates circa interpretationem vocabuli *euperistatos* quas habuerunt Patres et exegetae seriores, remanserunt usque ad nostrum tempus. Etsi communiter accipitur secunda interpretatio Chrysostomi, multi tamen exegetae censent sensum verbi *euperistatos* clarum et certum non esse. Sic secundum E. Riggenbach⁶² et C. Spicq⁶³ impossibile est cum certitudine stabilire sensum lectionis *euperistatos*, B. F. Westcott⁶⁴ autem sensum vocabuli vocat dubium.

2. Novam lucem in hac difficilima quaestione affert nobis lectio P⁴⁶ — *euperispastos*. Sensus huius vocabuli faciliter stabiliri potest, quia exempla huius verbi vel saltem eius radices sat plura inveniuntur in graecitate profana, biblica et patristica. Adiectivum *euperis-*

⁵⁴ *Op. cit.*, p. 387.

⁵⁵ *Der Hebräerbrief*, Elberfeld 1868, p. 457.

⁵⁶ Cf. E. Riggenbach, *op. cit.*, p. 387; C. Hughe, *op. cit.*, p. 250.

⁵⁷ *Commentarius in omnes S. Pauli Epistolas*, PG 82, 769.

⁵⁸ *Commentarii in Epistolas D. Pauli nunc primum ex armenio in latinum sermonem a P. Mekitharistis translatis*, Venetiis 1893, p. 236.

⁵⁹ *Commentarius in Epistolam ad Hebraeos*, Oeniponte 1882, p. 202.

⁶⁰ *Expositio in Epistolam ad Hebraeos*, PG 125, 368.

⁶¹ *Op. cit.*, p. 959.

⁶² *Op. cit.*, p. 386.

⁶³ *Op. cit.*, t. II, p. 385.

⁶⁴ *The Epistle to the Hebrews*, London 1906⁸, p. 399.

pastos provenit a verbo *parispao*⁶⁵, quod duplicem habet significationem: 1^o circumdetraho, aliorum traho, distraho et 2^o avertō, divertō⁶⁶. In graecitate hellenistica erat saepe in usu metaphorico in sensu distrahere, avertere, divertere⁶⁷.

a) In frequenti usu erat adiectivum verbale cum alpha privativa (*aperipastos*). In LXX, ubi bis occurrit, notatu dignum est locus Sap 16,11: *aperispastoi genontai tes ses euergesias*. *Aperispastos* adhibetur hic in sensu exclusionis, eliminationis⁶⁸. In N. Testamento vocabula ex radice *perispao* etiam bis occurrunt (Lc 10,40; 1 Cor 7,35); in 1 Cor 7,35 adverbialiter adhibetur: ... *alla pros to euschemon kai euparedron to Kyrio aperispastos*. S. Hieronymus⁶⁹ secundum primam significationem radicis ita vertit adverbium illud: „sine ulla distractione“. Translationem Hieronymianam accepit etiam Beza⁷⁰. Aliam tamen versionem proponit W. Bauer⁷¹ nempe „sine deflexione“ (*ohne Ablenkung*). Haec translatio bene consonat cum significatione verbi *perispao* et concordat etiam cum contextu. Paulus dicit de incommodis et periculis matrimonio, quae possunt aliquo modo saltem partialiter deflectere hominem a totali servitio Dei et convertere ad mundum et ad alium hominem (1 Cor 1,32—35). In graecitate profana usus adiectivi *aperispastos* est etiam sat frequens; in simili contextu ac S. Paulus, utitur adiectivo *aperispastos* Epictetus⁷²: Cynicus debet se abstinere a matrimonio, ne ulla re deflectatur et avocetur a ministerio Dei. Hic etiam *aperispastos* continet potius ideam deflexionis et aversionis quam distractionis. *Aperispastos* sensu passivo — sicut in exemplis supra notatis — occurrit saepe etiam apud Polybium⁷³.

Adsunt etiam exempla in graecitate profana et patristica, ubi *aperispastos* active adhibetur. Sextus Empiricus⁷⁴ proponens theoriam psychologicam Stoicorum de perceptione, utitur saepe phrasi *aperispastos fantasia*. Ut patet ex contextu *aperispastos* sumitur sensu activo: imaginatio vel phantasia, quae non distra-

⁶⁵ Cf. F. Zorell, *op. cit.*, p. 140; F. W. Beare, *The text of the epistle to the Hebrews in P⁴⁶*, *Journal of Biblical Literature* 63/1944/391.

⁶⁶ Cf. H. G. Liddel, R. Scott, *op. cit.*, p. 1586.

⁶⁷ Cf. G. Zuntz, *The texts of the Epistles. A Disquisition upon the Corpus Paulinum*, London 1953, p. 27.

⁶⁸ A. Vaccari vertit: „E cosi venisero esclusi della tua beneficenza“. E. Osty: „Ils ne fussent exclus de ta bienveillance“ (*Le livre de la Sagesse*, Paris 1950, p. 99).

⁶⁹ *Adversus Jovinianum*, I, 13, PL 23, 242.

⁷⁰ Cf. J. Wordsworth, H. J. While, *Novum Testamentum*, t. II, p. 214 in apar. crit.

⁷¹ *Griechisch-deutsches Wörterbuch*, Berlin⁵ 1958, p. 166.

⁷² *Dissertationes ab Arriano digestae*, III, 22. 69 (ed. H. Schenk I), Lipsiae 1918, p. 306.

⁷³ *Historiae*, II, 20, 10 (ed. J. Büttner-Wobst), Leipzig 1905, t. I, p. 148.

⁷⁴ *Adversus dogmaticos*, I, 176, 181 (ed. Mutschmann) Lipsiae 1914, t. II, p. 42s.

hit observatorem⁷⁵. Evagrius⁷⁶ admonet monachos, ut quaerant loca privata, secreta et *aperispastos* i.e. loca quae non distrahunt. Singularem attentione dignus est textus Leontii Neapolitani⁷⁷ qui tractans de vita monachorum, alludit ad metaphoram cursus. Leontius coniungit adiectivum *aperispastos* cum substantivo *peirasmos* et adiectivum sumit certe sensu activo: „tentatio quae non distrahit“. In hac descriptione, ut recte notat G. Zuntz⁷⁸ — auctor indicat ipsam essentiam peccaminosae tentationis, quae non tantum potest distrahere sed etiam avertere a fine.

Nunc transeamus ad nostrum vocabulum *euparispastos* i.e. sine alpha privativa et cum praefixo *eu*, quod habet sensum contrarium alphae privativae et addit significationem facilitatis⁷⁹; in tali constructione *euperispastos* potest significare „facile distrahit, facile avertit“. Hic sensus adiectivi *euparispastos* confirmatur etiam a textibus: Epictetus⁸⁰ tractans de prohibitione matrimonii apud Cynicos scribit: *peri ton koinon gamon kai euperispaston* i.e. de matrimoniis communibus et facile distrahentibus. In manuscriptis Epicteti invenitur lectio *aperistaton*⁸¹ sed correctura H. Schenkl in *euperispastos* est necessaria⁸². *Euperispastos* in eadem forma ac in P⁴⁶ invenitur certe apud Evagrium⁸³, qui in exhortatione ad monachos dicit: *trofon bracheon antechou kai eukatafroneton me pollon kai euperispaston*. Sensus huius admonitionis est clarus: cibus nimius et pretiose exaratus potest faciliter distrahere eremitam et avertere eum a fine⁸⁴. Ex textibus superius allatis clare patet quod *euperispastos* significat: facile distrahit, facile avertit (facile distrahens, facile avertens).

b) Si hunc sensum adiectivi *euperispastos* applicaverimus ad Hbr 12,1, clare elucebit eius concordantia tam cum vocabulo *hamartia*, quod fusius describit, quam cum contextu proximo et remoto. Peccatum in nostra epistola — sicut iam dictum est — significant aberrationem a scopo, vel a via a Deo indicata et in Hbr 12,1 sermo est de peccato infidelitatis. Descriptio huius peccati tamquam faciliter distrahentis vel potius faciliter avertentis optime concordat cum idea peccati infidelitatis. Infidelitas enim — secundum epistolam ad

⁷⁵ Cf. G. Zuntz, *op. cit.*, p. 27.

⁷⁶ *Tous oun idious kai aperispastous dioke topous me deliasses eichon auton* — *Rerum monachalium rationes*, III, PG 40, 1257.

⁷⁷ *Vita S. Symeonis Sali Confessoris*, PG 93, 1700.

⁷⁸ *Op. cit.*, p. 27.

⁷⁹ Cf. F. Blass, A. Debrunner, *Gramatik des neutestamentlichen Griechisch*, Göttingen⁹ 1954, p. 77.

⁸⁰ *Op. cit.*, t. III, p. 22, 76.

⁸¹ Apographa codicis Saibantini habent lectionem *aperispaston*. *Ibidem*, in nota critica.

⁸² *Ibidem*, 308 in nota critica. Cf. G. Zuntz, *op. cit.*, 27.

⁸³ PG 40, 1253.

⁸⁴ Cf. G. Zuntz, *op. cit.*, p. 27.

Hebraeos — efficit, ut christianus desciscat a Deo vivo (3,12) i.e. aliis verbis avertat se a Deo. Consonat etiam cum idea metaphorae cursus in stadio. Hagiographus iubet deponere „omne onus, quod potest non solum cursum retardare sed etiam eliminare de via et faciliter avertere a meta. Hic sensus adiectivi *euperispastos* quadrat quoque cum idea principali totius epistolae. Iam recte animadvertit E. Käseman⁸⁵ peregrinationem populi Dei motivum fundamentale epistolae ad Hebraeos esse. Secundum T. Preiss⁸⁶ epistola nostra potest intitulari „populus Dei in itinere“. C. Spicq⁸⁷ autem viam terrestrem fidelium vocat perpetuam peregrinationem. Quae cum ita sint, clare patet in Hbr 12,1 sub imagine cursus in arena brevissimum compendium ideae principalis epistolae contentum esse. Sicut in peregrinatione populi electi, ita etiam in peregrinatione novi populi maximum periculum efficit peccatum infidelitatis, quod non tantum distrahit in itinere, sed etiam totaliter avertit a meta, eliminat ex itinere et separat a populo Dei peregrinanti⁸⁸. In luce ergo ideae centralis epistolae, quae in nostro versiculo synthetice sub imagine cursus agonalis continetur, lectio P⁴⁶ accipit novam suam confirmationem. Nova lectio *euperispastos* aufert difficultates lectionis receptae *euperistatos*⁸⁹ et in clara luce ponit exhortationem auctoris epistolae ad pugnandum contra peccatum, quod facile avertit a Deo.

His omnibus rite perpensis concludere licet: retinenda est lectio *hamartia* tamquam certa. Genuinitatem huius lectionis probant testimonia externa, contextus proximus et remotus. Lectio P⁴⁶ probabilior videtur quam lectio recepta, aufert enim difficultates exegeticas, optime concordat cum vocabulo *hamartia*, quadrat cum contextu proximo et remoto et propterea cum F.W. Beare, G. Zuntz, A. Vaccari et contra P. Benoit⁹⁰ opinionem accipi potest. Versus ergo noster, accepta lectione varianti P⁴⁶ ita verti potest: „Itaque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deposito omni pondere et peccato facile avertenti cum patientia curramus propositum nobis certamen“⁹¹.

⁸⁵ *Das wandernde Gottesvolk*, Göttingen 1939, p. 5—58.

⁸⁶ *La montagne de Sion. Hébreux 12,18—24*, *Etudes Théologiques et Religieuses* 24/1949/123.

⁸⁷ *Op. cit.*, t. I, p. 270.

⁸⁸ Cf. E. Käseman, *op. cit.*, p. 25ss.

⁸⁹ De problemate quomodo et quando facta sit corruptio cf. G. Zuntz, *op. cit.*, p. 27.

⁹⁰ *Le codex paulinien Chester-Beatty*, *Revue Biblique* 46/1937/66.

⁹¹ A. Vaccari — accepta coniectura *apartia* et lectione P⁴⁶ — sic vertit nostram phrasim: „Deposta ogni cosa pesante e la suppellettile che facilmente distrae“. *Per meglio comprendere Ebrei 12,1*, p. 240.